

dat operam rei illicitæ, et periculosa, vult homicidium indirectæ, et in causa, quia tenebatur eam vitare in ordine ad vitandum homicidium ut constat ex doctrina S. Thomæ 1-2, quæst. vi, artic. iii.

XII. Dubitabis tamen, an clericus in sacris chirurgiam exercens per incisionem, sive adustionem fiat irregularis morte, vel mutilatione subsecuta, quamvis omnem adhibeat diligentiam. Et videtur quod non ex capite Tua nos sæpe citato. Dico tamen talem clericum incurere irregularitatem secundum jus, nisi habeat specialem dispensationem illius a summo pontifice. Et ratio hujus est, quia opus illud est periculosum. Ita tenent plures auctores, quos refert et sequitur Stephanus de Avila, ubi supra dubio secundo. Ad illud autem caput Tua nos dicimus, quod ibi potius censetur irregularis ille monachus, si quidem dicitur, quod potest cum illo misericorditer agi, quia non propter quæstum, sed propter pietatem curavit.

XIII. Dubitabis deinde, an magister castigans discipulum, si ex castigatione casu sequatur mors, fiat irregularis. Partem affirmativam tenet Felinus in capite Presbyterum de homicidio. Dico tamen si non excessit in castigatione, et circumspice fecit, quamvis sequatur mors non manet irregularis, quia tunc homicidium est mere casuale, metaphysice loquendo, id est, omnino involuntarium. Si tamen nimis excessit, vel sine circumspectione fecit, ita ut percuteret in capite, vel loco periculoso, manet irregularis, ut constat ex capite Ad audientiam, de homicidio. Ita tenent plures auctores, quos refert Stephanus de Avila, et Henriquez part. ii, cap. xiv, num. iv, in glossa littera D. ubi infert, quod si iudex jubet furem flagellis cædi secundum præscriptum

legis, et tamen executor excedens occidit, executor fit irregularis, non iudex.

XIV. Dubitabis insuper, utrum qui illicite percussit alterum vulnere non lethali, et tamen percussus moritur ex malo regimine, vel ex imperitia, aut negligentia chirurgi maneat percussor irregularis. Partem negativam tenet Cajetanus in ista quæstione, et alii. Partem affirmativam tenent alii plures, quos omnes refert Stephanus de Avila. Dico tamen: Si vulnus erat grave, quamvis non lethale de se, percussor manet irregularis. Probat, quia si vulnus non esset illatum mors non esset secuta, etiam posita imperitia chirurgi, et malo regimine; ergo vulnus fuit concausa mortis. Si tamen vulnus erat adeo leve, ut exiguo medicamine posset sanari, et nihilominus mors secuta est ex imperitia chirurgi, vel quia ex malitia adhibuit medicamenta nociva, tunc homicidium non imputabitur, sed chirurgo. Dico deinde, quamvis mors non sequatur præcise ratione vulneris, quia non erat lethale, sed ratione febris, vel alterius infirmitatis inde provenientis a qua nunquam percussus convaluit, percussor fit irregularis irregularitate homicidii casualis secundum jus. Ita tenent plures auctores, quos ibidem refert Stephanus de Avila. Et ratio est eadem atque præcedenti dicto.

XV. Dubitabis ulterius, utrum saltans cum muliere gravida fiat irregularis aborsu secuto post animationem. Sylvester verbo saltus, dicit quod si saltatio erat illicita, ut si erat amator obscænus, aut clericus, fit irregularis; et idem sentit Navarrus lib. v conclusionum, concl. xx, de homicidio, et probatur ex capite Sicut ex litterarum de homicidio. Dico tamen: Si saltatio fuit moderata non inducit irregularitatem, quamvis fuerit illicita, ut in clerico,

sive amatore obscæno: secus vero si fuit ita immoderata, ut merito ex illa timeretur aborsus, quia sic datur opera rei illicitæ, et periculosa. Et sic est intelligendum caput illud citatum.

XVI. Dubitabis præterea de alente feram, ut ursum, vel leonem, qui tamen occidit aliquem. Dico ad hoc: Si custodit illam bene ligatam, et absque sua culpa est soluta, non incurrit irregularitatem, alias incurret illam. Ita Navarrus, Covarruvia, Henriquez, et alii quos refert Avila. Et ratio hujus est eadem, atque præcedenti dicto. Advertendum tamen, quod quamvis habeat feram ligatam, si tamen ponit illam in via, vel publico loco, quæ occidit incaute antecedentes, sit irregularis.

XVII. Dubitatur tandem, an si puer intra tempus infantia, scilicet ante septennium habeat plenum usum rationis sufficientem ad peccandum mortaliter, fiat irregularis si occidat. Partem affirmativam tenent plures auctores. Sed nihilominus probabilius est oppositum; tum, quia (ut diximus disputatione præcedenti, art. ii) clementina Si furiosus extenditur ad excipiendum infantem; tum, quia in capite Infans ff. ad legem Corneliam de sicariis dicitur, quod infans, vel furiosus, si hominem occiderit, non tenetur lege Cornelia, quæ statuebat illum irregularem. Quando autem beneficium concessum est causa miserationis, extendi debet non solum ad infantem usu rationis carentem, sed ad alios. Major tamen difficultas est, si ille sit major septennio, et non habeat plenum usum rationis, vel dubitetur utrum habeat illum. Ad hoc dico, non fieri irregularem propter eandem rationem, sicut nec sit irregularis opprimens dormiendo aliquem, nisi id fiat ex proposito, et incuria culpabili, ut diximus. Et

eadem ratione extrahens caute secundum regulas artis sagittam, vel gladium de homine percusso morte accelerata non fit irregularis. De aliis autem quam plurimis casibus in particulari spectantibus ad istam disputationem legendi sunt auctores, quos jam citavimus.

## DISPUTATIO XVI.

## DE IRREGULARITATE PROVENIENTE EX MUTILATIONE.

## ARTICULUS I.

*Utrum mutilatio alicujus membri inducat irregularitatem?*

I. Videtur quod non, quia ut habetur in capite Is qui non in sexto, libro v, tit. xii de sententia excommunicationis, nulla irregularitas est admittenda, nisi sit expressa in jure; sed in nullo jure habetur expresse irregularitas posita propter mutilationem; ergo non est admittenda. Minor probatur, quia in jure dum ponitur irregularitas propter homicidium, nulla fit mentio de mutilatione: et ex alia parte, cum irregularitas sit pœna odiosa, non debet extendi ab homicidio ad mutilationem; ergo.

II. Dico tamen certissimum esse irregularitatem incurri propter mutilationem activam alicujus membri humani. Dixi propter mutilationem activam, quia modo non agimus de mutilatione passiva, id est, de defectu alicujus membri, quia irregularitas ex tali defectu pertinet ad irregularitatem provenientem ex



defectu natalium, de qua in sequenti disputatione dicemus. Et quidem nomine mutilationis intelligitur abscissio, et separatio membri secundum sententiam communem doctorum, et non intelligitur debilitatio, sive tarditas, ut aliqui existimant. Sic igitur explicata conclusio est communis sententia omnium theologorum, et jurisperitorum. Tota tamen difficultas est in assignando aliquo textu juris ubi expresse contineatur ista irregularitas. Circa quam difficultatem Suarez disp. XLIV, sect. I, existimat contineri in capite In archiepiscopatu, de raptoribus, et incendiariis, ubi decernitur episcopos posse castigare malefactores circa vindictam sanguinis: si autem debeant puniri morte, vel mutilatione, remittendi sunt ad potestatem sæcularem. Sed certe ex isto capite non videtur sufficienter probari ista irregularitas; tum, quia solum procedit de clericis mutilantibus, nec inde liceret extendere illam ad alios, cum sit odiosa; tum, quia ibi solum prohibetur clericis mutilatio, et nulla fit mentio de irregularitate. Probat deinde Suarez ex clementina Si furiosus, ubi dicitur, quod qui occidit, vel mutilat, non valens aliter se defendere, non manet irregularis; ergo sentit jus fieri irregularem, qui mutilat extra casus illius clementinæ. Sed certe hoc potius est argumentative colligere irregularitatem, et non ostendere illam expressam in jure illo.

III. Quocirca probatur nostra conclusio ex capite Aliquantos, LI distinctione, ubi expresse decernuntur irregulares, qui in causis forensibus versati sunt, et in bello, et sæva præcepta impleverunt, est autem sævitia quædam abscindere membrum hominis contraria lenitati, et mansuetudini Christi. Cum igitur **ibi** imponatur irregularitas univer-

saliter non solum pro homicidis, sed pro omnibus, qui sæva præcepta impleverunt, ideo illo textu continetur expresse. Secundo, probatur ratione, quia (ut alibi diximus) legitima mens, sensus, et anima juris est universalis interpretatio doctorum existimantium aliquid in jure contineri, sed universi doctores censent irregularitatem mutilationis contineri in jure; ergo dicendum est illam esse expressam in jure. Ad rationem dubitandi constat ex dictis.

IV. Dubitabis, quæ pars hominis dicatur membrum, ut si abscindatur, inducatur irregularitas. Prima sententia est Cajetani 2-2, quæst. LXV, artic. I, et Soto libro V de justitia, quæst. II, artic. I, et aliorum existimantium non solum dici membrum illam partem, quæ habet officium distinctivum ab aliis, sed etiam illam, quæ habet officium junctum cum aliis, ut digitus.

V. Dico tamen: Probabilior est alia opinio, et a nobis tenenda, quæ asserit illam partem hominis dici proprie membrum, quæ habet officium distinctum ab aliis partibus, ut oculus ad videndum, manus ad palpandum, auris ad audiendum, et sic de reliquis. Si autem non habet speciale officium quamvis opem ferat aliis, ut digitus juvenis manum, non dicitur proprie membrum. Ita tenet Covarruvia, Navarrus, Henriquez, et multi recentiores quos refert et sequitur Stephanus de Avila part. VII, disp. V, sect. I. Et probatur primo, quia (ut docet Aristoteles libr. X de partibus animalium, capite quinto) illa dicenda sunt membra corporis, quæ sunt in illo operationis propriæ genericæ; et colligitur ex D. Paulo I Corinth. XII dicente, quod membra in corpore distinctam habent operationem; sed digitus non habet distinctam operationem a manu; ergo.

Deinde probatur ratione, quia cum irregularitas sit pœna odiosa, solum debet comprehendere mutilationem membri propriè sumpti; ergo extendenda non est ad alia membra.

VI. Ex dictis sequitur primo, non esse irregularem, qui alteri abscindit auriculam, id est, cartilaginem, quæ solum deservit ad ornatum, et tutelam auris, sed oportet, ut organum auditus abscindat, ut maneat irregularis. Et eadem ratione non manet irregularis, qui evellit dentem, vel præscindit digitum, etiam pollicem, vel indicem, eo vel maxime, quia isti non habent per se propriam operationem. Et similiter non fit irregularis, qui alteri abscindit testiculos: (de eo vero qui sibi abscindit ista dicemus in subsequentiibus): testiculi namque nullam propriam operationem habent absque membro genitali. De eo autem, qui præscindit mamillam feminæ aliqui censent fieri irregularem: aliqui tenent oppositum, et utrumque etiam probabile. Secundo, sequitur posse contingere, ut aliquis faciat alium irregularem, et ipse non fiat irregularis, ut si abscindat alteri indicem, aut pollicem, præsertim de dextera manu: sed de hoc in subsequentiibus dicemus.

VII. Dubitabis præterea, utrum qui læsit membrum alterius reddens illud inutile ad suam operationem maneat irregularis. Videtur quod sic, quoniam idem prorsus nocuum infertur proximo, et idem peccatum committitur, ac si omnino abscinderetur. Confirmatur primo, quoniam ista læsio membri quamvis non sit materialiter, et realiter separatio illius, nihilominus formaliter est idem atque separatio, et eadem indecentia, et sævitia reperitur utroque modo fiat. Confirmatur secundo, quia alias sequeretur, quod qui oculum alterius red-

dit omnino aridum, non maneret irregularis, si quidem nullum abscindit membrum, et tamen nihil minus facit, quam si erueret illum oculum. Confirmatur tertio, quia alias sequeretur non incurrere irregularitatem eum, qui abscindit membrum; consequens tamen est falsum: ergo. Sequela probatur, quia si prius redderet illud inutile, et aridum, quamvis postea abscinderet illud, non abscindit verum membrum, ac subinde per abscissionem non incurrit irregularitatem; ergo si non incurrit illam reddendo membrum inutile, manifeste sequitur posse sine irregularitate abscindere membrum alterius.

VIII. Pro resolutione notandum est dupliciter posse ex læsione fieri membrum aridum. Uno modo ita ut totaliter reddatur inutile ad operationem exercendam, non tamen totaliter fiat emortuum, sed participet aliquem influxum vitæ: alio modo ita ut totaliter arescat, taliter ut nullum vitæ influxum participet, quamvis hoc contingat raro.

IX. Dico igitur primo: Si quis primo modo lædat membrum, non manet irregularis. Hæc conclusio est communis sententia inter doctores. Et ratio est manifesta, quia cum membrum illud participet influxum vitæ, remanet continuum cum reliquo corpore vivente; ergo non manet abscissum formaliter, nec materialiter. Et ex alia parte cum irregularitatis lex sit odiosa, nullatenus extendenda est nisi ad veram abscissionem, seu mutilationem membri.

X. Dico secundo: Si læsio membri fiat secundo modo, sic lædens fit irregularis. Probat, quia tunc membrum illud omnino emortuum non informatur anima rationali, sed alia forma, unde nec est continuum cum reliquo corpore viventi, ac subinde quamvis non sit realiter



separatum, et materialiter, nihilominus vere et realiter est separatum: et præsertim quantum ad exercendam suam operationem: ergo cum irregularitas inducatur propter veram abscissionem membri, qualis est ista, illam comprehendit lex irregularitatis.

XI. Dico tertio: Qui abscindit membrum debilitatum, et inutile, non tamen totaliter emortuum manet irregularis. Qui autem abscindit membrum totaliter mortuum, nullam incurrit irregularitatem, quando ipse non fecit membrum illud esse mortuum per læsionem moraliter conjunctam cum abscissione illius. Prima pars hujus conclusionis colligitur necessario ex præcedenti, quia illud membrum, utpote vivens continuum erat cum reliquo corpore viventi. Et si objicias illud non esse formaliter membrum, quia non poterat exercere propriam operationem, verum autem membrum dicitur, quod potest exercere illam, ut constat ex articulo præcedenti, respondetur illud esse formaliter membrum, quamvis ab extrinseco sit impeditum a sua operatione; secus est de membro emortuo, utpote ab intrinseco impedito ab operatione sua, quia non informatur anima rationali; unde non est pars vera hominis, et a fortiori nec membrum. Et ex hoc constat probatio pro secunda parte conclusionis.

XII. Tertia autem pars conclusionis asserit, quod si idem homo læsit membrum faciendo illud emortuum, et simul abscidit, ita ut læsio, et abscissio, quamvis sint duæ actiones reales, et fiant distinctis temporibus, si tamen habeant unitatem moralem inducunt irregularitatem, quia illa læsio membri, quando erat vivum induit rationem abscissionis futuræ. Si tamen moraliter nullatenus jungantur istæ operationes, ille non manet irregularis, quia pri-

ma læsio nullo modo inducit rationem abscissionis. Ex dictis constat solutio ad argumentum cum sua prima, et tertia confirmatione. Et ad secundam dicimus specialiter, quod si oculus mansit ex læsione omnino mortuus, lædens fit irregularis, ac si erueret illum, sive dextrum, sive sinistrum, ut constat ex capitulo ultimo, distinctione LV; secus autem si oculus non mansit, quamvis omnino lumine privatus, non fit lædens irregularis.

#### ARTICULUS II.

*Utrum qui seipsum mutilat incurrat irregularitatem?*

I. In hac difficultate in primis tria supponenda sunt tamquam certa, et alia tria sunt, quæ difficultatem habent. Primo certum est, quod qui seipsum mutilat, ita ut sibi membrum abscindat non sanitatis causa, efficitur irregularis, non secus ac si alium mutilaret. Ratio hujus est manifesta, quia tunc eodem modo iste est causa voluntaria mutilationis suæ, ac si alium mutilaret. Secundo certum est, quod qui abscindit sibi partem aliquam sui corporis voluntarie, etiamsi membrum non sit, imo etiam si partem partis abscindat, videlicet partem digiti, fit irregularis. Cujus ratio est, quia ita habetur expresse in jure dist. LV, capite Qui partem, ubi dicitur, quod qui partem digiti sibi abscindit fit irregularis, et tamen digitus non est membrum, sed pars; ergo qui partem partis abscindit fit irregularis. Ex quibus regula quædam generalis colligitur a doctoribus, videlicet, quod quotiescumque aliquis fit irregularis mutilando alium, etiam fit irregularis mutilando seipsum, non tamen e converso. Tertio certum est,

quod qui sanitatis causa se, vel alium mutilat non fit irregularis. Et ratio hujus est, quia talis mutilatio non est formaliter nisi curatio, sicut occisio in propriam defensionem formaliter non est nisi defensio. Et insuper constat ex capite Ex parte II, de corpore vitiat, et ex aliis multis capitibus.

II. Difficultas igitur prima est, an qui partem carnis sibi abscindit fiat irregularis. Et videtur quod non, quia irregularitas in jure capite Qui partem, distinctione LV, solum ponitur propter abscissionem partis alicujus membri; ergo non est extendenda ad abscissionem carnis, sive partis homogeneæ. Dico tamen: Qui abscindit sibi partem carnis notabilem, quamvis alia pars loco ablata virtute naturali suberescat, irregularitatem incurrit. Probatur ex decisione capite jam citato, et ex ejus ratione. Etenim irregularitas non imponitur in illo capite ex eo solum, quod quis sibi abscindat aliquam partem pertinentem ad totum heterogeneum, et ad integritatem totius corporis humani, sed imponitur (ut ibidem dicitur) propter atrocitatem specialem, quam quis circa seipsum exercet, et ad vindicandam voluntatem, quæ sibi ipsi ausa est ferrum injicere; sed ad hæc omnia impertinens est, quod pars abscissa, sive pars partis sit pertinens ad integritatem totius heterogenei; ergo. Ex hoc constat ad rationem dubitandi, quia non fit extensio, sed expresse ponitur ibi irregularitas pro abscissione talis partis carnis.

III. Difficultas secunda est, an hæc irregularitas, quam incurrit quis mutilando seipsum, aut sibi partem abscindendo, sit censura ecclesiastica; an solum sit canonicum impedimentum. Et probatur solum esse canonicum impedimentum, quia in mutilatione reperitur

vera causa voluntaria, non secus ac si quis alium mutilaret; sed in mutilatione alterius inducitur irregularitas, quæ est canonicum impedimentum propter indecentiam, et non in pœnam peccati, quia (ut supra diximus) irregularitas homicidii voluntarii culpabilis non est ex se nisi canonicum impedimentum; est autem eadem irregularitas mutilationis alterius, et occisionis ac irregularitas propriæ mutilationis: ergo. In contrarium tamen est, quia ut constat ex capite jam citato irregularitas, quæ ibi imponitur abscidenti sibi partem aliquam est in pœnam atrocitatis, quam quis circa seipsum exercet; ergo tunc sit pœna, erit censura ecclesiastica.

IV. Dico tamen: In mutilatione, qua quis seipsum voluntarie mutilat, duplex incurritur irregularitas, quæ est canonicum impedimentum, et quæ est censura. Utramque partem hujus dicti probant duæ rationes modo factæ. In abscissione tamen sui ipsius, quæ non est mutilatio membri, sed solum abscissio alicujus partis, quæ non est membrum, solum incurritur una irregularitas, quæ est censura. Et probatur, quia iste non incurrit irregularitatem canonici impedimenti impositam generaliter pro omni homicidio, aut mutilatione voluntaria facta sibi, sive aliis; ergo solum incurrit irregularitatem positam in illo capite Qui partem in pœnam delicti atrocitatis, ac subinde est censura ecclesiastica.

V. Sed tamen advertendum est, quod ad incurrendam irregularitatem, quæ est canonicum impedimentum in mutilatione sui ipsius sufficit peccatum veniale, quia in illo est sufficiens voluntarium ad maximam indecentiam propter quam incurritur hæc irregularitas (ut jam diximus.) Ad incurrendam autem irregularitatem, quæ est cen-